inter se commensurabilia sint, ipsæ verò inter se incommensurabiles.

96- Linea A potest æquale, duplum, triplum, &c. lineæ B, si quadratum ipsius A æquale, duplum, triplum, &c. sit quadrati B.

1. Postulatum dicitur propositio, quâ postulatur concedi, sive quâ præsupponitur, simplicem aliquam sive irresolubilem operationem fieri posse. *Definor Reflexivæ.*

2. Geometricè sive ex arte fieri dicitur, quod secundum postulata illa, quoties opus est, repetita fit.

3. problema dicitur propositio, quâ nihil asseritur, sed ailquid datur, & aliquid ex arte inveniendum, efficiendum, construendum, proponitur.

4. Determinatum problema dicitur, in quo tantum datur, ut plus dari nequeat.

5. Problema indeterminatum dicitur, cujus datis aliquid addi potest.

6. Casus problematis est problema, cujus vel datum sub illius dato, vel quæsitum sub illius quæsito, ut strictius sub ampliore, sive ut species sub genere continetur. Casus theorematis similiter dicitur.

7. Restrictio problematis dicitur quâ datorum casus impossibilis præcavetur.

8. Theorema dicitur propositio, asserens aliquid vel experientia, vel demonstratione probandum.

9. Conversa dicitur propositio B propositionis A, si vel totum datum ipsius A, sit quæsitum ipsius B, & totum quæsitum illius, sit datum hujus.

10. Semiconversa verò dicitur B ipsius A, si pars dati A sit quæsitum, vel pars quæsiti in B.

11. Diagramma dicitur plurium linearum complexio, proposito declarando inserviens.